

V K  
838





18. 14, 3.





Vk  
888

Q. D. B. V.

HISTORIAM  
LVSATICAM

PRÆSIDE  
CASPARE SAGITTARIO  
HISTOR. PROF. PVBL. ORD.

Proponit  
JOHANNES CHRISTIANVS  
NESENVVS

167

Zitta Lufatus.  
AUCTOR & RESPONDENS.



JENAE.  
TYPIS GOLLNERIANIS:  
CID IDC LXXV.



Vk. 14, 3.

503.

2,749.



**DEO**  
**PATRIAE**  
**ET**  
**FAVTOBIBVS**





I. N. I.

## INTROITVS.



Volent, qui animum ad Historias applicant, gesta Patriæ suæ initio evolvere. Cujus quidem pervulgatæ consuetudinis potissima videtur ratio; cum studia Historica præter multiplicem apparatus multiplices quoque labores desiderent, & natale solum, nescio qua dulcedine, cunctos trahat, quod plerique Patriæ amore detenti difficultatibus illis sensim assvescere se existimant posse. Fuit sane & mihi Patria loco cujusdam condimenti, quo animus per ceteras universi orbis historias iturus accenderetur. Quapropter lineamenta HISTORIÆ LVSATIÆ contuli, ac qualis præcipue sub priscis Marchionibus, a Conrado Wettinensi, Saxonicae familiae illustri conditore descendentibus, Lusatiae meæ status, adumbravi. Licet vero aliqua forsitan haut in vulgus nota curatius exposuerim, non nisi primitiarum tamen nomine hanc opellam accipi velim. Harum immaturitatem LECTORES vel ideo, opinor, excusabunt, quod ad miniculis quæ requirebantur, non instructus satis, & causæ etiam subnatæ sunt, quæ interdum properare me subegerunt. Ceterum ut iste labor cedat in Divini Numinis gloriam, votum meum primum & ultimum est.

§. I.

**H**istoriam Marchiæ ac Marchionum LVSATIÆ per epitomam tradituri, neminem, cujus integrum sequi liceat

A 2



liceat filum, ad manus esse, non immerito dolemus. Neque etiam certo nobis constat, an accuratior hujus argumenti historia unquam prodierit in lucem. Christophorum quidem Manlium Gorlicensem ad contexenda *Chronica Lusatica* animum adjecisse, sed & eidem operi immortuum, Petrus Albinus *Misnensis Chronici cap. XIII.* monuit. Et jam ad manus est ejusdem Manlii *Δείγμα Lusatie MS.* qua tum ipsius Marchiae, tum Marchionum Historiae lineamenta tradit. Sed ex reliquis *VI. Lusaticarum rerum* libris non nisi primus, ex ceteris paucissima quaedam Excerpta ad manus venerunt. Neque etiam Benjaminis Leuberi *JCTi liber, Quarta Monarchia* praefereus titulum, typis habetur exscriptus, quem alias diversis septem capitibus *Historiam Lusatie Marchionum* tradidisse accepimus. Quoniam igitur, quorum vestigiis insisteremus, non suppetunt Scriptores integri, quae disiecta passim ac dispersa in variis monumentis reperire datum, in unum corpusculum colligere decrevimus.

§. II. Exordiemur ab ipso nomine Lusatae: quod a Germanis *Lausnitz* effertur. Hoc, qui ab astutia gentis, per vocabulum *Lausitzen* / quod significat *latenter observare*, derivant, longius videntur abire. At prope ridicula illorum etymologia, qui *Lausnitzenses* quasi *Laute* *Deus* appellatos praedicant. Albertus Krantzius in *Saxoniae prooemio Aeneam Sylvium auctorem laudans*, a *Lusuntio* flumine Lusatae vocabulum arcescit. Sed *Aeneae Sylvii Historia Bohemica* Basileensis editio anni *MDCLXXV.* pro *Lusuntio* fluvio habet *Lusmicium*. Dresserus *Isagog. Historica parte IV.* qua praecipuas *Germaniae Urbes* describit, *Lusatos* *populum sylvas inhabitantem*, interpretatur. *Lusati*, inquit, *Lausnitzen* / *inter Silesiam & Misniam quasi Waldasser*. *Luc enim Slavis Sylva est*. Idem tamen eodem libro: *Nomen Lusatae Lygiorum vel Elysiarum populorum vocis affine est*. Nec ea vocis origo displicet Schickfusio, quod patet ex *lib. IV. Chronicorum Silesiae*. Et *Lygios* sane, qui & *Ligi*, *Lugii* & *Lugi* scribuntur, Tacito, Dioni, Straboni, Ptolemaeo memoratos novimus: in quos inquirat Philippus Cluverius *Germaniae antiquae lib. III. cap. XXXIII.* ubi & de *Elysiis*, quos recentiores

res



res Geographi habent pro Silesiis, nonnulla affert. Alii vero *Luticios* sive *Luticios* Slavos, quorum frequens in Annalibus Francorum, ac antiquis Historiæ Germanicæ Scriptoribus memoria, Lusatia nomen dedisse conjiciunt. At enim *Luticiorum* Slavorum generale quoddam nomen fuit, hos quatuor complexum populos, *Tholenzos*, *Redarios*, *Circipanos*, & *Kyzinos*: id quod Helmoldo *lib. I. cap. II.* affirmanti credimus. Præterea ex eodem Helmoldo aliisque clarum, Luticiorum sedes ad occidentem declinasse; cum Lusatia magis ad orientem vergat. Restat igitur ut dicamus, Lusatiam a *Luzicis*, qui iidem forte cum *Lunsinjanis* a Continuatore Reginonis ad an. 1000. laudatis, sive *Lusicis*, peculiari Slavorum gente, nomen accepisse. Quia autem Adamus Bremensis *lib. I. cap. XXXIV.* *Susos* cum *Boemannis* & *Sorabis* inter Slavos recenset; non futilem plane censo Albini conjecturam, *Lusos* in *Susorum* locum cooptantis, ut cum *Lusicis* una eademque gens fuerint.

§. III. Ab his *Lusicis*, ipsa, quam incolerunt, provincia *Lusici* & *Lusiz* fuit dicta: cujus mentio fit in diplomate Ottonis I. de *fundatione Ecclesie & Episcopatus Misnensis*, an. 1000. item in *Ditmari Mersburgensis Chronici lib. VII.* & aliis junioribus.

§. IV. Hujus nominis vestigia in vicina Lusatia Misnia superant: siquidem non modo vicum *Łausnitš* prope Eisenbergam, & alium in Thuringia prope Salsfeldium habemus; sed & viculus *Lusiz* sive *Losniz* a cognomine torrente ita dictus Freibergensi civitati imminet: putatque Andreas Mullerus in *Theatro Freibergensi part. I. cap. II.* antiquis *Lusicis* nomen suum transferbere.

§. V. An autem ipsi hi *Lusici* a sylvosis, in quibus habitant, locis, ita dicti (quod & Mullero jamjam laudato placuisse video) an aliam nominis habeant originem, in tanta rerum Slavicarum caligine non ausim definire. Terminatio Germanicæ vocis *Łausnitš* sive antiquioris *Lusitš* / *Slavis*, ac *Sorabis* præcipue, adeo familiaris fuit, ut quamplurima loca hoc & simili modo finientia, prima fronte *Slavicos*



vicos natales arguant. In Lusatia præter celebrem urbem Gorlic; item Camis; plura alia, sed ignobiliora loca superant. In Misnia, præter oppida Chemnitz; Colditz; Erzmitsch; Delitzsch; Lummitsch; Rochlitz; proluxa seges est pagorum in hanc Slavicam terminationem desinentium; quæ huc transcribere non vacat.

§. VI. Quod ad Lusatiæ hodiernos fines attinet, ab oriente Sole Siletiâ attingunt; a meridie Bojemiam respiciunt; ad Misniam Saxoniamque superiorem flectuntur ab occasu; a septentrionibus ad Marchiam Brandenburgicam accedunt.

§. VII. Porro Lusatia omnis nunc in duas partes divisa est: quarum una in Austrum magis excurrens, atque adeo Bojemiam versus & Misniam spectans, *Superior*; altera ad septentrionem & Viadrum inclinans, atque idcirco Marchiam Brandenb. & Saxoniam superiorem respiciens, *Inferior* nuncupatur. Superior a sexagenario florentissimarum civitatum eam constituentium numero *Hexapolis* (die Sechs Städte) appellari solet. His civitatibus nomina sunt sequentia I. Budissina, *Bausen*. II. Gorlicium, *Görlitz*. III. Zittavia, *Zittau*. IV. Lobavia, *die Liebe*. V. Lauba sive Laubena. VI. Camicium, s. Camentia. Inferioris quoque oppida sex a Manlio laudantur præcipua. I. Calovia. II. Gobbinum, *Guben*. III. Lubinum, *Luben*. IV. Cotbusium. V. Spremberga. VI. Luccavia. Quamvis nec contemnenda sint Soravia, Forsta, Sonnenvalda, Furstenberga, Finstervvalda.

§. VIII. Fluvii Lusatiâ irrigantes sunt Sprea, Nissus, Elyster niger, Qvissus & Vitigus. Et *Sprea* quidem in radicibus Sudetum Bojemicæ montium aliquot supra Budissinam miliaribus prope Sluknaviam & Tollensteinium arcem scaturiens, celeri per declivia fluxu trans Budissinam fertur: mox Sprembergam, cui ipsum dedit nomen, prætervectus, Cotbusium petit & Lubinum. Inde partem Brandenburgensis Marchiæ emensus, atque a septentrione in occasum reflexus, tandem ad Spandaviam in Havelam se exonerat. *Nissi* fons est in iisdem jugis Bojemicis penes Prosvicium pagum, supra Cratzium oppidum: unde Zittaviam, Ostricium & huic



huic contiguum Vallis-Mariae monasterium prætervectus Vi-  
tigoque auctus, Gorlicium, Rotenburgum, Pribusium, Mos-  
coviam & Forstum alluit, ac tandem ultra Gobbinum in O-  
deram labitur. *Elyster niger*, ad quem Camicium, & celebre  
quondam Doberlugense cœnobium situm est, in Albim in-  
fluit. *Quisus* in pede Sudetum prope Fridebergam scaturiens,  
Griphensteinio arce, Gryphenberga, Lauba & Naumburgo  
præteritis, ad extremum prope Saganum Bobero inseritur.  
*Vitigus* supra Fridlandum, haud procul a Nisfi fontibus emer-  
gens, Lissamque vicum stringens, mox supra Gorlicensem  
civitatem a Nisfo excipitur.

§. IX. Vtramque Lusatiam antiquitus Svevi habita-  
runt, amplissimi potentissimique veteris Germaniæ populi,  
quorum complures gentes enumerant Tacitus & Ptolemæus.  
Ex illis *Elysius* Lusatiam superiorem cum parte Silesiæ; infe-  
rioris partem ac Marchiam Brandenburgensem *Senonas* incolu-  
isse, ex Ptolemæo conjicit Manlius. *Elysius* certe Philippus Me-  
lanchthon in *Chronico Carionis* existimat Silesios aut Lu-  
satos esse, *mutata voce in sonum elegantiore*. Forte enim Tac-  
itus allusione Græcæ vocis, quæ amœnissimæ illæ beatarum  
animarum sedes a Poëtis designantur, delectatus, maluit  
*Elysius* dicere, quod laudari audiret spatiosos campos feraces  
frumenti, & juga metallifera.

§. X. Posterioribus temporibus infusi ex Asia, Poloni-  
am, Bojemiam ac magnam Germaniæ partem inundarunt  
Heneti ac Sarmatæ: quæ gentes cognatæ, ὁμόγλωττοι & vicini-  
æ, *Slavi* communi nomine dicuntur. *Vandali* quidem a non-  
nullis appellantur; quamvis perperam: cum *Vandalico* no-  
mine, quod est germanicæ originis, gens denotetur Gothi-  
ca, atque adeo ad Germanos referenda: id quod ex Tacito,  
Plinio, Procopio, aliisque scriptoribus clarum. Neque ta-  
men nescius sum, Dubravium ac nonnullos alios existima-  
re, Vandalis devictis hoc nominis sibi arrogasse Slavos: quos  
multis in locis Vandalis successisse, luculenter probatum de-  
dit aureolis ad Helmoldi *Chronicon Slavorum* Notis lib. I. cap. II.  
celebris Polyhistor Henricus Bangertus. Et Wendorum  
quidem



quidem vocabulum diutissime huic populo adhaesit, quo & hodie eius reliquias nuncupari deprehendimus.

§. XI. Quod vero Sarmaticus hic populus non uno tempore, sed paulatim, nec cum impetu semper & magnis exercitibus, sed parte una populi post alteram introducta, in Svevorum ac Vandalorum sedes subintraverint, ideo nec tempus adventus illorum certo definiri potest. Imperante Valentiniano III. immigrationis hujus initium factum verisimile est. Progressi vero in Germaniam longe lateque dominari coeperunt, ac Francis jam in Gallia confirmatis, ipsi intactas a Francis & Saxonibus, imo & nonnullas Francicae Saxonicaeque ditionis oras sub potestatem suam redegerunt: ut demum Caroli M. aëvo his Slavis nihil esset illustrius.

§. XII. Elati igitur prosperis rerum successibus inqvietissimi homines, & optimis, iisdemque amplissimis terris non acquiescentes, longius seculo VIII. & sequentibus in Germanici regni fines progredi summis viribus tentarunt. Hinc vero perpetua & molesta maxime bella Reges Francorum Germanorumque, ut & Duces Saxoniae contra praedatricem istam gessere gentem. Ut enim in patrio solo praedis assveti fuerant, sic nunc hoc unum agebant, ut Francos, Thuringos & Saxones perpetuis fatigarent bellis, & Germanici regni provincias partim occuparent, partim foede lacerarent. Nec desiere unquam, ex quo tantopere potentia illorum aucta, insultare Regibus Germaniae, & Ducibus Saxoniae, donec tandem ex Wagria & Meklenburgica terra per Henricum Leonem sublatis, partim praeliis occisi, partim ultra Oderam submoti: ex Marchionatu autem Brandenburgico per Albertum Ursum exterminati, & Saxones in eorum loca reducti sunt. Pomeraniam vero, Moraviam, Venedorum marchiam, Silesiam & Lusatiam, ceterasque terras quas occupaverant, tanta virtute tutati sunt, ut nullis armis plane pleneque expelli potuerint.

§. XIII. Sicut autem Slavica gens in varias divisa erat familias, ita in his famosa in primis erat Serbica seu Sorabica. Nam *Sorabi*, qui & *Sorbii* & *Serbi Suvorbii* & *Suverbii*, *Sirbii* & *Suuirbii*,  
Lusa.



Lusatiam superiorem una cum Misnia incoluerunt, ac parte Saxoniae superioris ad Hercyniam, oppressis ibi Hermundurris, & ipsa Svevica gente. Vnde dictae regiones omnes uno nomine *Sorabie* appellari coeperunt. In inferiore Lusatia Luticios sive Luiticios collocat Manlius, quos tamen paulo magis ad occidentem habitasse supra monuimus, inque eorundem locum Lusicos suffecimus.

§. XIV. Consentaneum autem vero videtur Manlio, quod cum tandem Henricus Auceps Soraborum regionem, subacta gente provinciam Germanici regni fecisset, constitutis Misnensi & Lusatica Marchiis, Sorabiae nomen extinctum atque hanc quidem oram, quae Hexapolin absolvit, cum Luticiorum terra conjunctam communi nomine Lusatiam dici coeptam. Quamvis nec penitus tum alibi, tum in Lusatia Soraborum sive Serborum nomen extinctum.

§. XV. Ceterum hi Slavi, horumque foetus Heneti, Sorabi, Winidi, ipsique forte Lusici, amplitudine occupatae terrae non contenti, diu multumque ex una parte Thuringorum initio, deinde Francorum, qui Thuringiam Cis-Vnstruthanam sibi subjecerant, ex altera Saxonum, in quorum potestate erat Thuringia Trans-Vnstruthum, exercuerunt arma. Et licet semel atque iterum feliciter contra eos pugnarent a Carolo Magno legati, Duce etiam Sorabici limitis constituto, nemo tamen in iis compescendis felicior fuit Henrico Aucupe, potentissimo Saxonum Thuringorumque Duce, ac post Rege Germanorum, qui Brandeburgum, validam Henetorum praecipuamque arcem asperrima hyeme, positus super glaciem castris, diuturna obsidione fatigatam expugnavit. Witicindo Corbejensi monacho Saxonicae gentis primo Historico id credimus, cujus haec sunt lib. I. *Tali lege ac disciplina cum cives assuefaceret, repente irruit super Slavos, qui dicuntur Hevelli, & multis eos praeliis fatigans, demum hyeme asperrima castris super glaciem positus, cepit urbem, quae dicitur Brennaburg, fame, ferro, frigore. Cumque illa urbe potitus & omni regione, signa vertit contra Dalmantiam. Expeditio haec incidit in annum* 1000 *1000*

B

§. XVI.

928.



§. XVI. Coercitis igitur Sorabis & Lusicis, devictam eorum oram Henricus in præfecturas limitaneas, quas nostra voce appellamus Marchias, provide distinxit: ac in iisdem præfectos sive Marchiones constituit, qui assidue ad regni limites in armis excubarent, cumque finium & muniendorum perpetuo præsidio, & proferendorum curam agerent: simul populis quos armis adversus vicinos hostes defendebant, domi jura darent.

§. XVII. Sic igitur nata quoque est tum temporis post Brandenburgensem & Misnensem Marchia Lusatica, cujus tamen antiquum caput ac primos limites nondum satis arbitror perspectos. Quod si vero hic standum conjecturis, plus inferioris, quam superioris, ut nunc vocamus, Marchiæ ad eandem pertinuisse est credibile. Hæc autem Marchia, quod Saxonibus & Misnensibus ad orientem vergeret, ab horum Scriptoribus ORIENTALIS, eorundemque præfides MARCHIONES ORIENTALES appellantur. Sic enim sæpius apud Ditmarum, Auctorem Chronici Montis Sereni, aliosque legas. Neque tamen per *terram*, ut & *Marchiam Orientalem*, in monumentis paulo recentioribus Lusatia semper intelligenda; sed quandoque denotat certum tractum inter Muldam & Salam fluvios, qui Germanice dicitur *das Osterland*. Unde in Codice Ms. Bibliothecæ hujus Academicæ, quo privilegia monasterii Doberlugensis comprehenduntur, *Orientalis & Lusatie Marchia* inter se distinguuntur. Sic Theodoricus Junior *Orientalis & Lusatie Marchionem* se vocat an. cccccxxxix. itemque ejusdem seculi xcv. ac quinque sequentibus annis: quod interpret germanicus ubique vertit *March. Grafe in dem Osterlande und zu Lusis*. Sic Jutta *Orientalis & Lusatie Marchionissa* in eodem MS. nuncupatur diplomate an. cccccxlv.

§. XVIII. Hujus autem noviter ab Henrico conditæ Marchiæ cura commissa est GERONI, ex nobilitate Saxonica ad sylvam Harzicam dynastæ, qui & ab excessu Sigfridi Comitis Merzburgensis, qui primus censetur Brandenburgensis Marchio, eiusdem ditionem obtinuit, fremente licet Tancmaro, ac ob id civile bellum excitante, in quo misere,  
occu.



occubuit. *Chronicon Archiepiscoporum Magdeburgensium MS.*  
Geronem primum fuisse notat Burggravium Magdeburgen-  
sem, ei que defuncto successisse Hermannum Billingum. Re-  
fert Witichindus, triginta Slavorum principes per insidias ei  
exitium machinatos: quorum consilia cum detecta essent,  
ipse ad convivium vocatos multoque vino sopitos contruci-  
dari iusserit. Misconem Polonorum Ducem ab eo impe-  
riali ditioni subditum, recenset Ditmarus *lib. II.* Nepotem  
ejus (incertum an ex filio) a Lusatiis caesum, scribit iterum  
Witichindus. Catastropham vitae ejus beatam, & ardens  
amplificandae religionis studium exponit Ditmarus *lib. II.*  
cujus pleraque ad annum *1067* repetit Auctor Chronici  
Montis-Sereni. Monasterium Gerenrodanum ab eo funda-  
tum scribitur anno *1067*. Triennio post obiit Gero, ut est  
in Continuatore Reginonis, his verbis: *Eodem anno 1067.*  
*Gero Marchionum nostri temporis optimus, praecipuus obiit.* Posi-  
tum ei Gerenrodæ sequens fertur Epitaphium: *Anno Domini*  
*1067. XIV. Kalend. Julii obiit Illustris Dux & Marchio Gero,*  
*hujus Ecclesiae fundator, cujus anima requiescat in pace. Amen.* Man-  
lius uxorem ei tribuit *Hiddam* sive *Hildam*, filiumque Gero-  
nem, Archiepiscopum Coloniensem: utrumque per errorem.  
Nam Hidda ejus soror fuit, quæ ex Christiano Marchione  
Archiepiscopum illum genuit: quod clare satis demonstravit  
Auctor Chronici Montis-Sereni.

962.

969.

§. XIX. Geronem in Marchionatu Lusatiæ excepit  
CHRISTIANVS ille, jamjam laudatæ Hiddæ maritus. Hunc  
ex Comitibus Wettinensibus Ditmari filium, Ditgremi ne-  
potem facit Albinus in *Commentar. Rerum Misnicarum*, qui  
& obitum ejus refert in annum *1067*.

973.

§. XX. DITMARVS Christiani filius, Geronis Colo-  
niensis Archiepiscopi frater, tertius Lusatiæ Marchio, hære-  
ditarium castrum ad confluentem Salæ & Bodæ *Northrin-*  
*gen*, post *Nienburgum nuncupatum*, a Slavis transalbinis captum  
*multis quidem suorum perditis* (quæ sunt Auctoris Chronici  
Montis-Sereni verba) *recuperavit*: eoque monasterium, quod  
patre defuncto, ope matris fratrisque *in consinio castri Anhalt in*

B 2

loco,



975.

loco, qui *Dancmarisvelt* dicitur (forte a *Tancmaro* Geronis ad-  
versario ibidem caeso) fundaverat, anno *1000* translu-  
lit, ipsamque *Ecclesiam*, ut firmiore eam stabilitate promoveret, *Impe-*  
*riali majestati* pro tuenda ejus libertate tradidit. Videatur etiam  
Ditmarus Mersburg. lib. VII. Vxor Ditmaro fuit *Svanehil-*  
*da*, *Hermannii Billingi* filia, quæ a mariti morte, quam in an-  
num *1000* refert *Albinus*, *Eccardo I.* *Misniæ* *Mar-*  
*chioni* ac *Thuringorum Duci* nupsit. Memoriam *Ditmari*  
servavit *monasterium Nuvvenburgense* in sequentibus  
rhythmis:

978.

*Ditmarus cum filio Marchio Misnensis*

*Pro tunc Dominus Lusatensis*

*Clastrum fundavit, dotavit, nos quoque pavit*

*Voce sub humana, sit ut hic laus quotidiana*

*In Christi cultum salvet cum prole sepultum.*

*Hec pro dote pie pater obtulit ultro Mariae.*

1002.

§. XXI. Quartus Lusatiorum *MARCHIO GERO II.* *Ditma-*  
*ri* ex *Svanehilda* filius. In hujus ævum incidit magna, quæ  
*Lusatiam* finitimamque *Misniam* vexavit, tempestas. Ab ex-  
cessu enim *Eccardi I.* *Misniæ* hæreditarii *Marchionis*, *Thu-*  
*ringiæ*que *Ducis*, qui contigit anno *1002*. *Boleslaus II.* *Cho-*  
*brius*, *Polonorum Dux*, *Marchiam Lufaticam* invadens *Bu-*  
*disfinam* occupavit, & ad *Misniam* usque populando per-  
rexit, quæ & ipsa potitus est. *Ditmarus* lib. V. *Bolizlaus* *Miseco-*  
*nis* filius, patre longe inferior, de morte letatur *Comitis Ekkehardi*,  
moxque electo exercitum omnem *Geronis* *Comitis* *Marchiam* *citra Al-*  
*bim* *jacentem*, deindeque præmissis *obsidibus* *Budisfinam* *civitatem*  
*cum omnibus adpertinentiis*, comprehendens, statim *Strelam* *urbem*  
*invasit*. *Misnenses* *pecunia* *corrumpere* *clam* *tentans*. At *Henri-*  
*cus II.* *Rex Germaniæ* anno *1005*. *Budisfinam* *obsidet*, quæ  
jussu *Boleslai* *eidem* *deditur*. *Ditmarus* lib. VI. *Ipsè* *vero* *cum*  
*Bojemorum Duce* *novo Milzieno*, qui tum sibi fuere proximi, *termi-*  
*nos* *per ineffabilem itineris difficultatem* *adiens* *Budisfinam* *urbem*  
*possedit*. Et paulo post: *Prædicta belli asperitate* *jam pene devicta*,  
*jubente* *per nuncium suimet Bolizlavo*, *regiæ potestati* *urbs* *salvis de-*  
*fensoribus* *traditur*, *presidioque* *novo* *munitur*. Postea *expeditio-*  
*ne in*

1005.



one in Boleslaum suscepta, exercitus regius ad Doberlug confedit. *Exercitum nostrum, inquit Ditmarus, cum prosperitate ad locum, qui Dobraluh dicitur, in pago Luzici venientem, Henricus & Jaromirus Duces ad supplementum ejusdem cum suis properantes, letificant, majoreque consilii ac fortitudinis spe roborant. Quem locum vel propterea consideratione dignum censemus, quod & pagi, hoc est, provinciæ Lusiciensis, & loci illius, in quo postea nobile illud monasterium Doberlugense fundatum, mentionem injiciat. Sed Boleslaus brevi Budisfinam cum aliis locis recuperavit. Ditmarus iterum: Bolizlaus Luzici, Zara & Zelpuli denuo occupat, & non longe post Budisfin civitatem presidio Hermanni Comitis munitam socrer invidus possedit. Milites cum assidua Bolizlavi impugnatione laborarent, viriliterque Duci resisterent, videntes nonnullos ex sociis eorum nutare, Dominumque se ad liberandos non venisse, licentiam hinc exeundi cum omnibus, quæ habebant, apud Ducem præfatum impetrantes, urbem ei reddiderunt, tristesque patriam reperebant. Sed Rex Henricus nova expeditione suscepta Lusatiam intravit, & licet morbo correptus reverti necessum haberet, relicti tamen Duces, & in his Gero noster ditiores Poloni vastarunt. Ditmari quædam afferemus: Inde ad Luzici pagum, in cujus fronte urbs quædam Jarina stat, a Gerone dicta Marchione, qui magnus fuit, & sic nuncupabatur. Infirmabatur tunc ibidem Rex, & sibi dilectus Tagmo. (Archiepiscopus Magdeburgensis.) Tum Principes angusto versant in pectore, quid deberet fieri de incepta expeditione. Tandem ab his inventum, quod Rex cum Episcopis quibusdam & inferiori multitudine rediret. Arnulphus autem & Meinvercus Episcopi cum Duce Jarimiro & Marchionibus GERONE & Hermannio cæterisque compluribus Cileni & Diedesi vastarunt. Tandem hi motus pro tempore componebantur, dum Boleslaus cum securitate obsidum apud se relictorum ad Henricum Regem Mersburgum venit, ac in die sancto manibus applicatis miles efficitur, & post sacramenta Regi ad Ecclesiam ornato incedenti armiger habetur. Quomodo autem Boleslaus, sacramenti parum memor, magnum com provincialibus & Marchioni eorum intulerit damnum, idem narrat Ditmarus lib. VII.*



1015. *Lusici dictum venerunt, a presidio ex Ciani urbe egresso tentati magnam hostium multitudinem occiderunt.* Denique Gero Marchio anno cioxv. contra Polonos fortissime dimicans cum ducentis militibus optimis occisus, in monasterio Nuvvenburgensi a patruo Archiepiscopo sepultus est: quemadmodum fusius describit Ditmarus *lib. VII.* qui & uxorem eius nominat Adelheidam, filiumque Ditmarum.

1018. §. XXII. Is igitur DITMARVS (quem perperam Albinus Ditmari l. gnatum facit) quintus est Lusatiæ Marchio. In hujus ætatem incidit pax inter Henricum II. Cæsarem & Boleslaum Polonum anno cioxviii. Budisinae sacramentis confirmata: de qua initio *libri VIII.* consulendus est Ditmarus.

1031. §. XXIII. OTTO Ditmari II. filius *sine liberis obiit, & in eo posteritatis propagatio cesavit:* ut habet Chronicon Montis-Sereni, cuius & sunt sequentia: *Odonis Marchionis meminit Scriptura passionis B. Adelberti, ubi dicitur, Odo pugnax Marchio lanceis vexillis terga vertit.* Albinus cum obiisse scribit anno cioxxxi.

§. XXIV. Post hujus Ottonis obitum Marchiam Lusaticam impetravit DEDO Diderici filius, id quod docet Appendix Chronici Montis-Sereni in codice Meibomiano his verbis: *Secundus filius (Tiderici) Dedo Marchiam obtinuit Hodonis marchionis, qui heredem non habuit.*

1046. §. XXV. Hic ipse Dedo non est alius a Dedone Marchione Misniæ, quod putat Manlius, sed Marchiam Misnensem (credo ab obitu Eccardi II. quem anno cioxlvi. decessisse ex Hermanno Contracto apparet) ab Henrico III. impetravit. Quandoquidem autem per Henrici III. filium & successorem Henricum IV. existimaret stare, quo minus a feudi Dominis impetraret bona Ottonis Orlamundani Marchionis (hujus viduam Adelam Brabantini stemmatis, a primæ uxoris Odæ obitu, Dedo duxerat: ut est in Appendice Chronici Montis-Sereni) Regi rebellare, ac in rebellionis societatem pertrahere cœpit Thuringos, jam tum ob decimas Archiepiscopo Moguntino ab Henrico Rege concessas novarum rerum cupidos.



dos. Debemus hoc Lamberto ad ann. cixlxi. scribenti:  
*Interea Dedi Marchio Saxonicus, cum viduam duxisset Ottonis Mar-*  
*chionis tertio prius anno defuncti, prædia etiam, quæ ille a diversis do-*  
*minis beneficii loco habuerat, summa vi nitebatur acquirere. Cum*  
*nullus daret postulanti, indignitatem non ferens, Regi per quem po-*  
*tissimum stetit, ne darentur, bellum parabat, crebrisque colloquiis*  
*Thuringos ad societatem armorum sollicitabat: promptum hoc fore spe-*  
*rabat, eo quod Rex Archiepiscopum adjuvando in exigendis decima-*  
*tionibus multum a se avertisset animos eorum. Stimulos curren-*  
*ti admovebat conjux Adela: quippe incitamentum illi furoris*  
*vel maximum erat uxor sevisima. Hæc placito hominis ingenio, &*  
*per ætatem jam mansuefacto juveniles animos inspirabat, sæpius ob-*  
*tundens, qui si vir esset, non inultus injurias acciperet, nec priori ma-*  
*rito ejus audacia se imparem gereret, quo & virtute & opulentia su-*  
*perior esset: quæ iterum Lamberti verba sunt. In Thuringia*  
*se tum continebat Dedit, ac Beichlingam & Scheidingam*  
*præsidio muniverat. Sed cum se viribus Regis imparem*  
*videret, ejusdem potestati se permisit: a quo non nisi adem-*  
*ta possessionum & reddituum parte dimissus est. Lambertus:*  
*Marchio advertens nullo loco vel munitione sustineri posse impetum*  
*Regis, incisa spe resistendi se suaque omnia dedit. Dedi Marchio*  
*aliquamdiu habitus in custodia, tandem ademta possessionum & redi-*  
*tuum non modica parte dimissus est. Hæc si disertius exposuis-*  
*set Lambertus, multam his temporibus affundere possent*  
*lucem. Neque enim nunc certo licet definire, quales illæ*  
*possessiones, num Lufaticæ, an Misnenses fuerint. Sed uti*  
*nulla calamitas sola; ita præter captivitatem Dedit Pater eti-*  
*am filium cognominem expertus est adversarium. Au-*  
*di Lambertum: Filius ejus Dedit junior patrem ea tempestate in-*  
*festius accerbiusque, quam alius quisquam, insectatus est. Si hic*  
*suspicioni locus, forte novercale odium expertus Dedit juni-*  
*or, ut a noverca, ita a Patre quoque factus alienior. Et con-*  
*jecturam firmat nostram ipse Lambertus, qui vulgi sermo-*  
*nibus jactatum tradit, dolo novercæ interfectum. Pergit*  
*enim Lambertus. Ob eam rem exacto bello ingenti gloria esse cæ-*  
*pit apud Regem, egregia indolis adolescens, nisi ambitionis spiritu, &*  
*præpo-*



prepropera dominandi cupidine præceps raperetur. Is non multo post, cum nocte quadam ad necessitatem naturæ secessisset, opposito extrinsecus insidiatore confossus in ingvine, & occisus est. Quis necis ejus auctor fuerit, non satis constat: quamquam dolo novercæ interfectum vulgi sermonibus jactaretur. Idem fatum tangit Appendix Chronici Montis-Sereni. Epitaphium ei Lambertus statuit non satis honorificum, his verbis: *Illud haut dubie liquet, monasteria & Ecclesias, moriente eo magna formidine exoneratas esse, cum mentibus omnium certissima opinio insedisset, eum augendarum opum studio, non homini parciturum, qui patri proprio non pepercisset.*

1073.

§. XXVI. Annus erat CIO LXXIII. quo suspicio de Saxonum libertate opprimenda propter Henrici cum Rege Daniæ colloquium Proceres Saxonicos ad conjurationem adversus Regem impelleret. Inter hos quoque conjuratos fuit Dedo noster Marchio, & omni Marchione animosior atque implacatior uxor Adela: quo elogio ipsam maclat Lambertus. Post colloquium tamen Gerstungæ habitum Dedo gratiæ Regis restitutus est, in cujus documentum Ruzenorum Rex Demetrius *Dedi marchioni Saxonico, cujus ductu is advenerat Moguntiam, a Rege commissus est servandus, donec legati ( quos eo destinaverat Henricus) reverterentur: quæ verba sunt Lamberti ad ann. CIO LXXV.*

1075.

§. XXVII. Hic annus CIO LXXV. Dedoni Marchioni fatalis fuit, quo, ut ait Lambertus, *longa ægritudine absumtus decessit.* Quod in exilio sit mortuus, (id quod Albinus in *Commentario Rerum Misnicarum* asserit) plane vero non videtur simile, nec Lambertus ei sententiæ usquam favet. Ab ejus obitu insignis contigit per Lusatiam mutatio, siquidem Henricus Rex Marchiam illam Vratislao Duci Bojemix concessit. Auctorem hujus rei gravissimum habemus Lambertum, qui, quod filius Dedonis, ab Adela matre Regi obles missus, ac ipse pater post pacem Gerstungensem debitam Regi fidem servaverit, Henricum ob illicitam hanc donationem non immerito videtur pungere. *Marchiam ejus, inquit, Boemico Duci in præmium exactæ militia dedit, tametsi uxor Marchionis Adela filium suum, cui hereditaria successione Marchia debebatur, ei paulo ante*



lo ante pro se obsidem misisset. & ipse Marchio post recuperatam pacem in Gerstingun intemeratam semper erga Regem remque publicam fidem servasset. Quisnam filiorum obses Henrico missus, non habeo dicere. Quamvis optarem id perspectum esset, praesertim cum postea longam narrationem texat Lambertus, quomodo una cum Vtonis Marchionis filio ex custodia Moguntiam salvus evaserit. Tres reliquisse filios, Dedonem scilicet, Henricum Marchionem de Hileburg, & Conradum Comitem, qui a paganis occisus, docemur ex Appendice Chronici Montis Sereni.

§. XXVIII. Sic igitur hoc tempore minimum Lusatia, inferior (pro qua superiorem ponunt alii: quæ si non integra, bona tamen ejus pars in Polonorum manibus videtur fuisse) ad Bojemos devoluta est. Dubravius *Histor. Bojem. lib. VIII.* Vratislaum ab Henrico bonam Lusatiae partem mercedis loco adeptum, memorat: qui in eo fallitur, quod id tunc factum putet, quo regnum discordiis intestinis inter Patrem filiumque Henricos agitabatur: quod diu postea contigit. At vero non Lusatia modo, sed & Misnensi Marchia Dedonis filios privavit Henricus Rex, quam eandem Duci Bojemiae commisit, non diu tamen possidendam: siquidem Ecbertus Thuringiae Saxoniaeque Marchio recuperavit. Lambertus id enarrat denuo, apud quem tamen scrupulus restat, qui hæc Misnensis Marchia Ecberti fuerit, cum ad Dedonis hæredes spectaret: ac pene in hanc sententiam venio, corruptum esse locum quem subjungo: *Quoniam digrediens Duci Boemico Marchiam Misnensem tam spectata in arduis rebus fidei premium dederat, Ecbertus Marchio, cujus eadem Marchia erat, filius patruelis Regis, puer longe adhuc infra militares annos, ubi primum decrepescens aquis fluvius factus est transmeabilis, adjunctis sibi Saxonibus, Misnenem perrexit, omniaque castella, quibus Dux Boemicus presidium imposuerat, ad mota militari manu recepit, suosque milites, qui deinceps contra omnem hostium irruptionem indefessi excubarent.* Lambertum sequitur Paulus Langius in Chronico Citizenensi, his verbis: *Circa idem tempus Henricus Imperator Marchiam Misnensem Vratislao Duci Bohemiae dedit possidendam pro auxilio & obsequio*



sequio, quod ei idem Dux contra Saxones continue impendebat, bellico. Ast Egbertus marchio, ejus provincie Dominus, filius patruelis Regis, puer adhuc, adjunctis sibi Saxonibus Misenam perrexit, universaque castella, quibus Dux Bohemus presidium imposuerat, ad mota militari manu recepit.

1093. §. XXIX. Huic Albinus post Dedonem, novum Marchionem tribuit Henricum Dedonis filium. Sed quid opus erat eundem in catalogum referre Marchionum, si per donationem Vratislao factam liberi Dedonis ab hæreditate paterna exclusi sunt? Quod tacite insinuare videtur Chronicon Montis-Sereni, quando eum tantum vocat *Marchionem de Hileburg*. Ceterum Vratislaus filiam Juditham in matrimonium dedit Viperto sive Vicerto, spectatæ virtutis ac potentie Comiti Groizensi: quem dotis loco Budisfinam a socero accepisse volunt. Ipse autem Vratislaus anno cixciii. vivere desiit.

1117. §. XXX. Non multo post VIPERTVS ille Groicensis Henrici V. Germaniæ Regis offensam contrahit, quæ non soluta prius, quam præter Leisnicensem urbem & alia nonnulla, Budisfinam pagum Regi traderet: quæ Henricus statim Hoiero Comiti Mansfeldensi in feudum contulit: id quod enarrat Auctor libelli *de fundatione Bigaugie*. At denuo nova oriebantur dissidia, & Vipertus ab Henrico captus, ad annum cixc xvii. in custodia habitus fuit: ac tum libertati restitutus Lusatiæ Marchionatu investitus est. Habet id denuo Auctor libelli *de Cœnobio Bigaugiensi* sequentibus verbis: *Wipertus ad curiam Wormatiæ indictam perrexit. Et Imperatori pro suorum recuperatione grates persolvit. Et ut Marchia Lusicensis ab eo insigniretur, promissis duorum millibus talentorum exoravit. Et impetravit. Indeque ab Imperatore inter reliquos Principes par habetur.* Idem Auctor ad seq. annum, Wicpertum *Marchionem in Luzitz* salutat. Paulus Langius in Chronico Citizenensi ad an. cixc xviii. *Wipertus Marchio in provincia quæ dicitur Suvorbia, dominabatur. Tandem præ ceteris ditatus, principatum quoque & Marchionatum in Lititz (credo Langium scripsisse Luzitz) sed & præfecturam in Magdeburg principalem obtinuit.* Obiit Vipertus anno

no



no c10cxxiv. De quo iterum Auctor ille: Chronici Montis-  
Ser. *Wicbertus Marchio, fundator Bigaugiensis anno Domini c10cxxiv.*  
*obiit XI. Kal. Junii. Hic invaluerat praeiis & beneficiis in provincia no-*  
*stra, quae Suvorbiadicitur. Monarchiam (forte Marchiam) quoque*  
*in Lusitz ac praefecturam in Magdeborch principalem obtinuit.*

1124.

§. XXXI. Viperto successit HENRICVS filius. Sed  
Comites Adelbertus & Conradus Marchiam ejus invadunt, quam  
Adelbertus ad tempus tenuit, Luthario regnante, Hinricus in ejus  
gratiam rediens, eam recepit. Est haec Bigaugiensis libelli nar-  
ratio, quam Auctor ad an. c10cxxv. hunc in modum profe-  
qvitur: Synodus apud Leodium sub Innocentio congregatur. Ibi  
praesente Lothario Adelbertus Marchio de Saxonia deponitur, & Hin-  
ricus filius Wicperti pro eo Marchio in Lusitz constituitur, qui huc  
usque ab Adelberto exclusus fuerat violenter. Atque idem quo-  
que Hinricus Marchio in Lusitz, Praefectus Magdeburgensis (Burg-  
graviatum designat Auctor) constitutus est: quod habet  
idem scriptor ad ann. c10cxxxv.

1125

§. XXXII. Marchiam tum Misnensem tenebat Henri-  
cus Junior de Ileburg, qui Conradum Comitem Wettinen-  
sem Timonis filium, cognatum suum in Kirchbergensi ca-  
stro captivum detinebat. Sed mira Numinis divini factum  
providentia, ut Henrico anno c10cxxvii. mortuo, non mo-  
do ex carcere liberaretur, sed & ope Richenzae Reginae a Lu-  
dero Germaniae Rege Misnensi Marchia investiretur. Atque  
hic CONRADVS Marchio Misnensis, Henrico Viperti filio  
anno c10cxxxvi. vita functo in Marchia Lusatica, novo Lude-  
ri Regis beneficio successit: quo de memorabilis haec est in  
Chronico Montis-Sereni narratio: *Henricus Marchio & Mag-*  
*deburgensis Praefectus, filius Wiperti, ad curiam pergens Moguntiae mo-*  
*ritur II. Kal. Junii, cui in comitatu Magdeburgensi successit Bur-*  
*chardus frater Archiepiscopi. Marchiam vero Lusicensem, quae nunc*  
*Orientalis dicitur, Imperator Conrado Marchioni Misnensi concessit,*  
*qui etiam totius proprietatis heres factus est, quia alium heredem*  
*non habuit. Appendix hujus Chronici summam utriusque*  
*donationis breviter item complectitur his verbis: Post mor-*  
*tem Henrici captivitate solutus, anno c10cxxvii. liberalitate Luderi*

1127.

1136

C 2

Imp.



Imp. Marchiam Misnensem suscepit, cui etiam Lusicensem, quæ Orientalis nunc dicitur, idem Imp. postmodum concessit. Et de Marchia Lusatica iterum: *Wispertus Marchio, Pigaviensis Ecclesie fundator, cujus filiam Dedo comes duxerat, anno c10cxxiv. xi. Kal. Junii moritur, relinquens heredem Henricum Marchionem. Quo sine herede mortuo anno c10cxxxv. ii. Kal. Januarii Imperator Marchiam ejus, quæ Orientalis dicitur, Conrado Marchioni concessit, cui etiam Misnensem prius concesserat. Anno c10cxlvi. Conradus noster provincia Rochlicensi auctus fuit. Nam, ut idem Auctor memorat, Conradus Rex dedit Conrado Misnensi & Orientali Marchioni & uxori ejus Lucardæ provinciam Rocheletz. Obiit denique Conradus anno c10clvi. inque Sereni-Montis noviter a se condito, multisque relictibus ac privilegiis aucto monasterio sepultus est, relictis filiis Ottone, Diterico, Henrico, Dedone & Friderico. Ex quibus primogenitus Otto Misniæ, Ditericus Lusatiæ Marchiam; Henricus Comitatum Wettinensem, Dedo Rochlicentem, Fridericus Brenensem indepti sunt: sicut id diligentissimus Montis-Sereni monachus, ejusdemque appendix recensent.*

§. XXXIII. Sicigitur THEODERICVS sive Ditericus Patri succedens in annum c10clxxxiv. Marchiæ Lusatiæ non sine laude præfuit. Hoc ipso autem anno V. Idus Febr. in Sereno-Monte, quo ægrum se deferri voluit, vitam cum morte commutavit, ac sepulturam nactus est. Monumento ejus hæc incisa sunt: *Dietrich Marggraff zu Lusitz/ ein Sohn Marggraff Conrads/ lebt hter begraben. Verschieden Anno Do. 1184.* Ex prima uxore Dobergana, sive Lucarda Polonica natum Conradum filium, in torneamenti ludo lancea confossum anno c10clxxv. amisit: uti pluribus enarrat Chronicon Montis-Sereni. Ex altera, pellice tamen potius, quam legitima conjugè Cunigunda, Bernardi de Plotzke vidua, Theodericum Episcopum Mersburgensem genuit. Hic Theodericus Marchio conditor est nobilissimi Cisterciensis Ordinis in Lusatia coenobii, quod *Doberlug* vocatur: uti habent Auctor Chronici Montis-Sereni ad an. c10clxxxiv. & diploma Conradi Orientalis Marchionis in villa Wardenbrucke an. c10cxcix. scri-



Scriptum. Attamen diplomate Theoderici Misnensis & Orientalis Marchionis in provinciali palatio Colmitz anno cccc. dato, non modo a nostro, sed & ab Ottone ac Dedone fratribus fundatum dicitur.

§. XXXIV. Quod autem Theodericus legitima prole mascula careret, Marchia Lusatica ad DEDONEM, Theoderici fratrem devenit, quippe quem Montis-Sereni Chronicon *Marchionem Orientalem* appellet ad annum cccclxxxiv. eundemque Theoderico successisse, haut obscure indicet. Ex incisione ventris mortuus est anno cccxc. de quo digna lectu est recensio Auctoris Chron. Montis-Sereni: *Henricus Rex (Friderici filius) ducenda uxoris causa ad partes Apulia profecturus, Dedonem Orientalem Marchionem secum voluit proficisci. Qui itineris illius asperitatem & aeris qualitatem corpori suo, quia crassus erat, contrariam sciens, pro tollenda intestinorum arvina medico adhibito, ventris incisione mortuus est XVII. Kal. Septembris, & in Ecclesia Cillenensi, quam ipse fundaverat, est sepultus. Vxorem habuit Mechtildam, ex qua nati Conradus successor Patris, & Tidericus Comes Summersenburgensis.*

§. XXXV. CONRADVS Marchio Lusatiæ anno ccccv. Mechtildam filiam primogenitam Alberto Brandenburgensi Marchioni collocavit: quas nuptias *Tidericus Comes de Summerschenburg in castro Groitz cum magna gloria & expensarum copia celebravit: uti habet Auctor Chronici Montis-Sereni.* Quomodo hic Conradus castrum Lebus spectans ad Vladislaum Poloniae Ducem, a quo multis modis læsus, obsederit, ac cæso, qui contra datam fidem in ipsum irrumpere volebat, Vladislao, castrum occuparit, toties laudati Chronici scriptor pluribus exponit ad ann. ccccix. quo ipso Elisabetha Conradi uxor, ipsius Vladislai soror obiit, ac in Doberlugensi cœnobio sepulta est. Ipse vero sequenti anno conjugem secutus ii. Non. Maji decedens Cellis apud patrem sepultus est. Chronicon Montis-Sereni eum vocat *Virum audacem, & in armis strenuum, largum, & fidelitate præcipue famosum.* Diplomata ejus ad Ecclesiam Doberlugensem pertinentia habemus de annis ccccxcix. ccii. ccx.



§.XXXVI. Ex eo THEODERICVS sive Ditericus, Mar-  
 chio Misniæ, Ottonis filius, Conradi nepos anno ciccxx.  
 1210. Marchiam Lusaticam pro XV. millibus marci ab Imperatore  
 (Ottone IV.) redemit, ex quibus X. millia solvit, quinque vero Im-  
 perator ei remisit: ut est in Chronico Montis-Sereni. Hujus  
 Theoderici non pauca exstant in Ecclesiam Doberlugensem  
 1214. merita: id quod varia diplomata MS. Academiae nostrae  
 membranacei declarant. Paulus quoque Langius in Chro-  
 nico Citizenensi ad an. ciccxiv. diploma quoddam affert Fri-  
 derici II. Imp. in quo sequens elogium tribuitur Theo-  
 derico: *Charissimus Princeps noster & consanguineus noster Theoderi-  
 cus, Misnensis & Orientalis Marchio.* Et alio ejusdem Imp. diplo-  
 mate anno ciccxvi. testis citatur hoc modo: *Theodericus Mar-  
 chio Misnensis & Orientalis.* Vitæ valedixit an. ciccxx. sicut sequen-  
 1216. 1220. tibus verbis indicat Chronicon Montis-Sereni: *Ditericus Mis-  
 nensis & Orientalis Marchio, filius Ottonis, filii Conradi Marchionis  
 Senioris, obiit XIII Kal. Martii, sepultusque est in Cella juxta Patrem su-  
 um.* Ex uxore Jutta sive Juditha, Hermannii Thuringiæ Land-  
 gravii filia genuit Henricum, de quo nunc dicemus.

§. XXXVII. HENRICVS Theoderici filius, quod  
 sæpe mallei vocem in ore haberet, *Hammerus*, quod liberali-  
 tatis laude excelleret, *Munificus*, apud recentiores κατ' ἐξοχὴν  
*Illustris* dictus, juxta Fabricium anno ciccxxviii. natus, sub tu-  
 tela avunculi Ludovici IV. Thuringiæ Landgravii adolevit:  
 ac postquam invito Ludovico, mater Popponi Hennebergi-  
 co nupsit, eaque res turbis involverat Misniam, rebus com-  
 1234. positis, postquam ephebis excessit Henricus, an. ciccxxxiv.  
 Constantiam, Austriæ Ducis Leopoldi filiam ducit: ex qua  
 1248. Alberti ac Theoderici Pater factus, anno ciccxlviii. ab ex-  
 cessu Henrici, ultimi Thuringiæ Landgravii, qui contra Fri-  
 dericum II. Rex Germaniæ electus, post longam controver-  
 siam non sine sanguine extractam, contra Sophiam Braban-  
 tinam ejusque filium Henricum, Landgraviatum Thuringiæ  
 sibi asseruit, eundemque Misniæ ac Lusatiæ Marchiis felicissi-  
 me junxit. Exstincta anno ciccclxii. uxore Constantia,  
 1262. quarto post anno duxit Agnetam Ottocari Regis Bojemæ  
 filiam,



filiam, quæ improlis anno cccccxvii obiit. Tertia uxor fu-  
it Elisabetha ex nobili Malticiorum profapia, Hermanni &  
Friderici in monasterio Cellensi sepultorum mater. Con-  
didit hic Henricus Cellam novam, inferioris Lusatiae ad Ode-  
ram coenobium, ac Doberlugense item, majorum more,  
privilegiis & redditibus auxit: id quod diplomata annorum  
ccccxxxiv. xl. xli. xlvi. l. lvi. lvii. lviii. lxxi. lxxvi.  
lxxix. lxxxv. lxxxvii. demonstrant. Primorum trium hoc  
est exordium: *Henricus Dei gratia, Misnensis & Orientalis Mar-  
chionis*. At postquam ad Thuringiae Landgraviatum adspira-  
vit, plures assumpsit titulos, hoc modo: *Henricus DEI gra-  
tia, Misnensis & Orientalis Marchio, Thuringia Landgravius & Sa-  
xonia Comes Palatinus*. Ab anno autem cccccxvi. ad pristi-  
nam titulorum rediit modestiam, & se iterum *Misnensem  
tantum & Orientalem Marchionem* scripsit. Causa autem hu-  
jus varietatis non videtur esse alia, quam quod vivus vi-  
densque Alberto ac Theoderico filiis hæreditatem distribue-  
rit, servata sibi tantum Misnensi Marchia. Sic enim ea de  
re Fabricius *Originum Saxoniarum lib. VI.* scribit: *Secutus tandem  
exemplum prudentissimi Principis Conradi proavi sui, ditionem inter  
filios, nobilitatis plebisque consensu, vivens distribuit. Et paucis  
interjectis: Sibi Pater retinuit Misniam, Alberto dedit Thuringi-  
am, Diterico Osterlandiam, filiis Elizabethæ certas prefecturas: Fri-  
derico Dresdensem assignavit: quid Hermannus proprium habuerit  
adhuc legere non memini. Ceterum de Alberto facile assense-  
rim Fabricio, siquidem in Doberlugensibus diploma exstat  
anni cccccxxxv. quo vivo Patre, quem *Illustrem Principem,  
Dominum Henricum Patrem dilectum, Misnensem Marchionem* sa-  
lutat, Albertus sic profatur: *Albertus DEI gratia, Thuringorum  
Landgravius & Saxonie Comes Palatinus*. At in Theoderico,  
sive Diterico nondum Fabricio possum suffragari. Oster-  
landia huic tribuitur: quæ tum innexa videtur Marchiæ Mis-  
nensi: nec putaverim eo ævo *Orientalis Marchiæ* vocabulo  
venisse Osterlandiam, utut ita semper acceperit diplomatum  
Doberlugensium, sed recentioris ævi, interpretis. Quod si  
igitur iuxta Fabricium, Osterlandiam Theoderico dedit Hen-  
ricus*



ricus Pater, utiqve Lusatia Marchionatum eo nomine comprehensum crederem. Sed habeo argumenta, quæ nec istum vivo Patre accepisse Theodericum persuadeant. Nam & Pater tituli retinens est, nec inter Doberlugensia vel unicum apparet, quo vivo Patre *Orientalis* se nuncupet *Marchionem*. At quia inter hæc unum anno cccccxvii. datum deprehendo; quo Theodericus se *Marchionem Landisbergensem* vocat, ac *pia recordationis generis sue* meminit, in eam devenio opinionem, quasi Landisbergensem Marchiam Henricus Pater Theoderico filio resignarit. Huc accedit, quod ipse Fabricius hunc Theodericum *Landsbergensem Marchionem* nuncupat: quod ante eum fecit Suffridus Presbyter Misnensis, MS. Variloqvus Erfordiensis, & Paulus Langius in *Chronico Citizenfi*.

1288.

§. XXXVIII. Migravit Henricus ex hac vita Dresdæ, ut scribit Suffridus, & testantur monumenta Vetro-Cellensia id factum anno cccccxxxviii. In Cella cum tribus uxoribus & cum Hermanno ac Friderico filiis sepultus est. Theodericus vero filius ante Patrem excessit vita anno cccccxxxii. (Variloqvus Erf. MS. habet annum sequentem) ac Suselittii ad Albim humatus est, teste Fabricio. Verum Paulus Langius obitum ejus refert in annum lxxxv. & in monasterio Suppliz a se fundato sepultum tradit.

§. XXXIX. Ab Henrici igitur obitu Lusatia Marchiam indeptum credo THEODERICVM Juniorem (Dicernannum vel Tizmannum, nescio qua ratione, vocant recentiores) Alberti Thuringia Landgravii ex Margareta Austriaca filium, Friderici Admorsi fratrem. Marchia enim Lusatia titulum inter ceteros quoque præfert: ut patet ex diplomatibus Doberlugensibus: quorum pleraque ita incipiunt: *Theodericus Junior, gratia DEI Landgravius Thuringorum, Orientalis & Lusatia Marchio, Dominusque terre Plisnensis*. Vbi, quia Orientalis & Lusatia Marchia inter se opponuntur, facile liquet, diversas quoque esse provincias: id quod jam supra monitum. Ceterum Theodericus ille *Juniorem* se appellat, procul dubio ob patrum, *Landisbergensem*, quem diximus, *Marchionem*,

qvi



qvi Theodericum nostrum ejusque fratrem Fridericum ab Alberto patre post fugam matris dimissos sollicite educavit.

§. XL. Susceperat Theodericus ille Senior ex Helena Brandeburgica Fridericum, qvi, qv od impeditioris esset lingvæ, cognomentum *Teuth* accepit. Ac is qvidem cum ex Hildegarde Bojarica nullam suscepisset prolem, præterito ob degeneres mores, vitamqve licenter actam, Alberto patruo, ejusdem filios Fridericum & Theodericum hæredes scribit. Alii Patri Theoderico Seniori id tribuunt, pro quo Paulus Langius *Henricum* supposuit, qvi & eidem Marchiam Lusaticam assignat. Digna sunt, quæ cognoscamus, Auctoris verba: *Albertus habuit fratrem, qui dominabatur in Marchia Misnensi & Lusatie provinciis. Is vicinus morti predictos nepotes suos Fridericum & Theodericum ad se venire jusfit, hisqve multis proceribus & nobilibus astantibus omne Misnie Lusatie ac Libonotrie imperium resignavit, deditqve, cum alium heredem non haberet. Sed plura forte, quam par erat, Alberti fratri tribuit Citizenensis monachus. Interim filius ejus Fridericus diplomate anni ccccclxxxix. a Langio allato hunc quoqve præfert titulum: Nos Fridericus, Dei gratia, Misnensis & Orientalis & de Landesberg Marchio. Ob istam, quam diximus, tum aliis de causis, inter Patrem ac filios bella intestina coeperunt, cumque pater in Albertum Juniorem ( *Apetz* abbreviate vocant istorum temporum scriptores: unde nescio quem *Apicium* conflarunt Fabricius & recentiorum alii ) ex pellice Cunigunda Isenburgica natum, æquior, Fridericum ac Theodericum filios Thuringia privare vellet, nova horum cum duobus Germaniæ Regibus Adolpho & Alberto bella Thuringiæ Misniæque feralia enata sunt. Sed hæc, quia ad Historiam Misnicam ac Thuringicam proxime spectant, alterius sunt considerationis. Id vero ad Historiam Lusaticam pertinet, quod Theodericus in Lusatia sua cum Marchionibus Brandenburgensibus, ac imprimis Johanne III. Patri Alberto faventibus magna prudentia ac felicitate bellum gesserit, *in sumendis, ut Fabricius ait, armis primus, in deponendis ultimus.* At enim an Adolphus Rex Germaniæ arma sua in Lusatiam quoqve protulerit, non habeo*

D

dicere.

1289.



1296.

dicere. Nam etsi Suffridus Misnensis ad ann. cccccxvi. testetur, eundem ad terram Orientalem castra & arma mouisse, & in ea quibusdam munitionibus occupatis, quibusdam funditus destructis, direxisse aciem contra Misniam; quia tamen adhuc de Terra Orientalis acceptione hoc in loco dubito, certi quicquam non ausim definire. Dum vero Fridericus contra Albertum Adolphi Regis successorem vestigiisque antecessoris in persequendis Alberti filiis ipso Patre instigante, insistentem, se defendit strenue, nec Theodericus rebus suis deest: qui tamen in medio victoriarum cursu an. cccccvii. Lipsiæ in templo D. Thomæ a sicario (forte a Philippo Adolphi Regis fratre immisso: ut est apud Suffridum, Paulum Langium aliosque novitios) ipsa nocte Natalitiorum Christi vulneratur: ex quo vulnere die tertio obiit, & in Paulina æde sepelitur, ubi hodieque legitur epitaphium a Dante Alligerio Florentino factis luculenter scriptum, & ab Albino Brotusio, Fabricio, Manlio aliisque repetitum. Quoniam autem hoc ipsum Epitaphium summam gestorum Theoderici nostri fratrisque Friderici complectitur, etiam huc quod transcribatur, dignum iudicavimus.

1307.

TITZ ego sum MANNVS, me olim genuere parentes  
ALBERTVS Princeps, MARGARETA que pia.  
Imperium titulumque dedit Turingia nobis,  
Marchia Lusatia, Misena & ipsa potens.  
Quaque patet vetus in planis Libonotria campis,  
Et quæ Montano Flumine Plisna lavat.  
Frater erat FRIDERICVS item Mavortius heros,  
Pro patria mecum prælia dura subit.  
Nam superare datum est nobis Victoricibus armis  
Boemiæ populos Saxoniamque Duces.  
Marchio de Brenburg Waldemar nomine dictus,  
Agmine devictus vincula nostra tulit.  
Alcanius Princeps cecidit quoque cuspide nostra,  
Sed vitam supplex hic miser emeruit.  
Romulidum Reges ALBERTVS, ADOLPHVS & alter  
Non poterant nostra frangere Marte manus.

Viri-



Viribus o' pietas, nostris sed terga dederunt  
Cæsareis opibus tunc ego dives eram.  
Innumeri & nostri cæsi sunt ense Suevi,  
Audentes Patrios sollicitare Deos.  
Omnia sic vici. Durum sed vincere Fatum  
Non potui, Lachesis quod dedit atra mihi.  
Objicit illa mea, crudelis, pectora ferro,  
Dum steteram incautus in medio Ecclesiæ.  
Sic Victor victus cecidi; sed nulla triumphos  
Et laudes meritas non dedit una dies.

Obiit VIII. Cal. Jan. An. Christi MCCLXXX. (Hujus epo-  
chæ error manifestus est.)

Dantes Alligerius fec.

*Monumentum a Monachis novum chorum condituris apertum est,  
(quæ verba sunt Manlii) exentumque cranium, cuius coma flava &  
prolixa etiamnum aservatur in fisco Academiae cum cruribus & tibiis,  
cranio & ossibus reliquis in vicina aliquot oppida distributis. Pro-  
ximo ante obitum anno, sequenti usum titulo, Theodericus Ju-  
nior, Landgravius Thuringiæ, Marchio Orientalis & Dominus in  
Groth / Magnificus Dn. Fridericus Hortlederus observavit.*

§. XLI. Quod igitur Theodericus Junior improlis esset,  
hæreditatem ejus ex asse adiit FRIDERICVS frater, quem  
idcirco & Lusaticæ Marchiæ, si non possessione, jure tamen  
auctum existimamus. Vnde Auctor de Landgraviis Thuringi-  
æ cap. LXXXII. *Morte frater ejus audita, advocatis ejusdem  
Titzemanni multas pecunias dare promisit, sicut & fecit in Thuringia:  
& factus est potens Marchio Misnia, & Orientalis, & Thuringiæ  
Landgravius. Quapropter etiam Orientalis Marchiæ  
titulum non minus, quam reliquos in diplomatibus  
usurpavit. Quod Paulus Langius in Chronico Citizenensi  
ad annum cccccx. Altenburgi datum attulit, sic orditur:  
Fridericus D E I gratia, Thuringia Landgravius, Misnensis & Ori-  
entalis Marchio, Dominusque terre Plisnensis. At vero si quæ  
unquam, brevis certe hujus Marchiæ fuit possessio: si qui-  
dem eadem Brandenburgicorum Marchionum opera excidit.*



Intercedebant nimirum Friderico cum Waldemaro I. Brandenburgico gravissimæ lites, in deprædationes mutuas erumpentes. In his turbis captus Fridericus, non dimittitur prius, quam inter durissimas conditiones alias Lusaticæ hæreditati renunciasset. Ceteras quidem conditiones non implevit Fridericus, quod a proceribus Misniæ, inprimis a Rehesfeldiis, qui inclutum *Loferiorum* nomen inde acceperunt, singulari strategemate liberaretur; Lusatica tamen pacta quo minus immutata credam, Auctor de *Landgraviis Thuringiæ* facit, qui cap. LXXXVI. scribit, quod *Friderici Marchionis advocati civitates terre Orientalis Alberto Comiti de Kochin* (Kothensem Comitem appellat Fabricius) *commissario Marchionis Waldemari presentarint.* An vero, quod idem refert Auctor, *munitiones Orientales, hostibus subactis, valida manu anno sequenti reobtentæ denuo possederit Fridericus,* documentis aliis confirmari queat, multum ambigo; crediderimque potius in Brandenburgensium manu permansisse, donec familia illa in Waldemaro II. & Johanne IV. ann. cccccxxii. penitus extincta, in Lusaticis Bojemi succederent. Nec multo post Fridericus Marchio diuturno gravique morbo exhaustus, supremum diem obiit anno cccccxxiv. sepultus Isenaci in æde suburbana D. Catharinæ, in sacello D. Johannis. Lapidis sepulchrali sequentes versiculi a Bertoldo Fabro inscripti sunt:

1322.

1324.

Ecce FRIDERICVS, virtutis alumnus, amicus  
Pacis, conditur hic: stirps Imperialis: Et illic  
Fulgeat iste pius Marchio Landgravius.

Præterea Bertoldus hæc apposuit ANNO. DOMINI.  
MILLESIMO. TRECENTESIMO. VIGESIMO.  
Q. V. A. R. T. O. XVI. KMLSEDMS. Quas notas  
Magnificus Dominus Fridericus Hortlederus sic feliciter ex-  
posuit, ut denotent XVI. KL. MENSIS Decembris. Mo-  
numentum sepulchrale prisæ magnificentæ exemplum,  
olim fata sua Isenaco Gotham, inde rursus anno cccccxiii.  
ad Reinhardifontem sacrum translatum, ibidem etiamnum  
conspici, laudatus, sed nunquam sat laudandus Dn. Hortle-  
derus in *Supremis Honoribus Friderici Senioris Ducis Saxonie* an-  
no



no cxiocxxii. extincti, scripto vere amœbæo, observavit.

§. XLII Ab epitaphio Friderici ad Lusatiæ Marchiam revertor, quam in manibus Brandenburgicorum ad usque extinctam eorundem familiam mansisse, ab eisdem ad Bojemos pervolutam dixi. Hæc res, quia insignem Lusatici regiminis mutationem continet, paulo altius repetenda est.

§. XLIII. Lusatiam inferiorem jam sub Henrico IV. in potestatem Bojemorum venisse supra fuit indicatum. Nam Vratislaus Dux (quem regiam dignitatem impetrasse volunt) eandem ab Henrico in præmium navatæ militaris operæ acceperat. Successores Duces, quique Ducibus immitti per Reges Germaniæ creati Bojemorum Reges ad Ottocarum II. Lusatiam superiorem possederunt. Neque tamen tam quieta semper fuit possessio, quin Poloni eandem aliquoties turbaverint. Hoc temporis intervallo partim fundatæ, partim insigniter auctæ sunt superioris Lusatiæ civitates. Et sub Sobislao quidem Duce, postquam vetus castrum, mœnibus, fossis ac propugnaculis ornatum ab incendio illustrius surrexit, GORLICII nomen accepisse volunt, circa an. Christi cxiocxxxi. Sic Dubravius Budisfinam temporum vetustate squalentem ab eodem Sobislao instauratam scribit. ZITTA VIAM quoque sub regimine Bojemico conditam, vero non est absimile, quamvis non sim nescius, quid de Zittavia Manfredi Ringelheimensis Comitis uxore circumferatur. Quod quidem si certissimis comprobari potest documentis, origines urbis ad seculi XI. initium referendæ essent. Sed quid opus majorem, quam res ipsa patitur, antiquitatis gloriam venari? cum longe sit illustrius per paucorum seculorum decursum exsurgere, quam diu cum fortunarum procellis luctari, aut semel contractum splendorem amittere, vel imminutum cum tædio intueri.

§. XLIV. Ut autem ad Ottocarum II. revertar, is Marchionibus Brandenburgicis Lusatiam addixit. Illustrem hujus rei testem habemus Carolum IV. Imperatorem, cujus in diplomate quodam post Goldastum aliosque a Conringio *cap.*



XXIX. de Finibus Imperii Germ. edito, diserta hæc sunt verba: *Marchia Budisicensis & Gorlicensis, quæ cum ceteris civitatibus, oppidis & pertinentiis suis ad Regnum & Coronam Bohemie ab antiquo pertinuerunt, per illustrem Ottocarum quondam Regem Bohemie, proavum nostram, in personas quondam illustrium Brandenburgensium Marchionum ex certis causis & rationibus alienata fuerunt.* Qui Regem illum tam lauti boli obiectione suffragium in electione Cæsarea ab Ottone II. Marchione mercari voluisse asserunt, nescio an fidem dictis satis certam queant facere. Mihi enim verosimilius fit, hanc provinciam dotis loco concessam Ottoni Beatricem sororem Ottocari, filiam Primislai ducenti. Ex eo tempore Lusatia superior a Brandenburgicis retenta, donec Friderico Alberti filio Misniæ Marchione in angustias coacto, etiam inferiori Lusatia potirentur.

§. XLV. Quandoquidem autem illustre Marchionum Brandenburgicorum genus brevi post exstingveretur, novis, quæ mox emerferunt, bellorum periculis implicata Lusatia, alternante belli fortuna, nunc Bavaros, nunc alios ex victoria præfides sortita, prius se his malis explicare non valuit, quam veteres Dominos Bojemæ Reges admitteret. Id quomodo sit gestum, nunc paulo curatius, propositæ tamen brevitate memores, trademus. Cum Rex Germaniæ ac Imperator Henricus VII. gente Lucelburgicus veneno in ipsa sacra Eucharistia præbito in Italia sublatus esset an. ccccxxiii. ac successori Ludovico Bojariæ Duci a quinque Electoribus lecto, reliquorum suffragiis majorumque meritis confusus, se opponeret Fridericus Pulcher, Austriacus, Rudolphi ex Alberto I. nepos, gravissimis exin bellis porta aperiebatur. Ludovicus, quod in Johanne Rege magnam spem victoriæ repositam existimaret, eundem omnibus modis ad se pertrahere laborabat. Commodum itaque accidebat Waldemari & Johannis Marchionum Brandenburgicorum obitus, quorum hæreditatis bonam partem Ludovicus Johanni pollicebatur, si regiam dignitatem suam strenue defenderet. Id cum Johannes ad belligerandum promptus fecisset, ac prælio victus, captusque frater germanus Henricus,

præ-



præmium navatæ operæ a Ludovico exspectabat. Is vero periculis defunctus, promissorum immemor, Budisfinam tantum, quam Marchio dudum oppignoratam tenebat, sine precio Johanni restituit: Brandenburgensem autem Marchiam cum Electorali dignitate solenni investitura Numburgi anno cccccxxix facta majori filio Ludovico attribuit, qui postea a Pseudo-Waldemaro eiusq; fautoribus exagitatus, Marchiam fratri Ludovico Romano, servata Electorali dignitate resignavit. Interea Johannes Rex Budisfina non contentus, Gorlicium, aliasque superioris Lusatiæ oppida a regno quondam abalienata suo milite recuperat, moleste id quidem Ludovico Germanorum Rege ferente, sed quod mutare non posset, pro tempore transmittente. Atque in hunc fere modum recentiores summam rei exponunt: in quibus tamen nonnulla forte desideres, præsertim quando Carolus IV. testetur, *Marchionibus Brandenburgicis absque sexus masculini heredibus decedentibus ex hac vita, Nobiles, Milites, Clientes, cives, universosque incolas Marchie Budisfinensis & Gorlicensis ad subjectionem & obedientiam Johannis Bohemie Regis genitoris sui, tanquam ad ordinarium, legitimum & naturalem Dominum suum & ad Coronam Regni Bohemie, de cuius gremio jamdudum constiterant, deliberatione non improvida redisse. Quæ quidem non tam armis compulsos, quam sponte sua Lusatos ad Regnum Bojemie reversos declarant.* De Gorlicio ad Bojemos tum revertente circumferuntur sequentes leonini:

*Anno milleno trecento vice nono*

*Quondam Saxonia Gorlitx est facta Bojema.*

Dresserus libello de præcipuis Germaniæ Urbibus, & Petrus Bertius lib. III. Commentarior. Rerum Germanicarum, observat Gorlicium paulo ante in Henrici Silesiæ Ducis manibus fuisse, qui ea restituta Zittaviam acceperit: ac tum quidem cautum, ne unquam Gorlicium a regno Bojemie avelleretur. At Dubravius *Historiæ Bojem. lib. XXI.* eundemque secutus Manlius, Gorlicium Friderico Gravi Marchioni Misniæ a Johanne, quod instinctu Ludovici Regis pactam sibi filiam remisisset, ereptum, ac porro quicquid ademtum a regno oppignoratumve erat, expulsis possessoribus Johannem recuperasse



perasse tradunt. Consentit in eo Fabricius, ac tandem sic concludit: *Cum tanto successu ubique uteretur, Fridericus domesticis motibus atque bellis impeditus, amissa recuperare non potuit; quæque ante & a Brandenburgico, & jam a Boemo erepta sunt, nunquam in posterum fuerunt restituta.* Interim in Friderici Strenui, qui Friderici Gravis fuit filius, epitaphio Vetero-Cellensi Orientalis titulum deprehendo hunc in modum: *Anno Domini M. CCCLXXX. VII. Kl. Junii obiit mitissimus Princeps Fridericus Thuringie Landgravius, Misnensis & Orientalis Marchio, Dominusque terræ Plisnensis.* Orate pro eo. Diploma Doberlugense anno MDCCCLXIV, Dresdæ datum sic incipit: *Nos Fridericus Dei gratia, Thuringorum Landgravius, Misnensis, Orientalis & in Landisberg Marchio, Comes in Orlamunde, Dominusque terræ Plisnensis.*

1364.

§. XLV. Regnum Boemiarum accessione Lusatiarum insigniter auctum a Johanne accepit CAROLVS IV. qui monasterium Cælestinorum Oyvinum nunc in ruderibus jacens, in monte *Paracleti* dicto ad Zittaviam condidit anno MDCCCLXVIII. De hoc cœnobio elegans locus est in Pauli Langii Chronico Citizenensi, quem integrum afferre non pigrabitur. *Imperator Carolus inter alia pietatis opera, quæ exercebat, monachos ordinis Celestinenfis ex Gallia in Germaniam primus duxit, posuitque eos in altissimo monte, in confinibus Slesie & Bohemie, non procul a Zittavia, mutans castrum quod ibidem erat munitissimum, in cœnobium, regaliter & magnifice eis providens de vitæ necessariis. Est autem ipse mons totus saxeus, undique prominentes habens rupes & scopulos, & est semotus & liber, in medio aliorum situs montium nemoris Hercinie sive Bohemice. Vivunt denique sub regula S. patris Benedicti in magna charitate, rigidam & artissimam vitam ducentes: quemadmodum expertus sum, dum eos visitavi ob dicti monasterii foundationem investigandam (uti & aliorum) per Trittemium missus anno Domini MDCCCLXVI. Et est solum & unicum per Germaniam, ex quo assumtis monachis Georgius illustris Dux Saxonie hoc dicto tempore secundum æque in monte sublimi, qui Regalis lapis dicitur, a Pyreneo oppido ad miliare unum remoto, fundare & erigere cœpit. Consultissime autem fratribus aliunde in Alemannia monasterium non habentibus locum firmissime munitum in extremis finibus Bohemie providit*

1368.



providit, ut super ventura Husitarum rabies non haberet facultatem  
eos devastandi, sicut (proh dolor!) de monasteriis non munitis in um-  
bilico aut corpore regni Bohemiae positus actum est. Conservant deni-  
que illud castrense monasterium fratres etiam pro tutela totius Ale-  
mannie, praesertim Slesiae & Misniae. Potest quippe ex eodem mona-  
sterio pugnari contra Husitas & alios hostes patriae, si postulaverit ne-  
cessitas. Inditum est autem nomen loco ob altitudinem, ut dicatur  
Ouvvin, id est, sublime sive superius, & fundatum est anno Domini  
CIOCCCLXVIII. per Carolum IV. Literas foundationis a Carolo  
IV. in Italia tum existente in Lucensi urbe xvii. Martii fuisse  
datas, ex MS. quodam Zittaviensi Chronico didicimus.

§. XLVII. Theodoricus a Niem in *Nemore Unionis tract.*  
*VI. Labyrinth. cap. XXXIII.* putat Carolum IV. Lusatia terra, sub  
qua videtur etiam Silesiam complecti, Imperium spoliasse.  
Verba ejus haec sunt: *Ac etiam Lusatiam, quae inter fines Saxoniae,*  
*Misniae & Poloniae consistit, & per Archiepiscopum Magdeburgensem*  
*ab Imperio tenebatur in capite. seu in feudum, a quodam Archiepi-*  
*scopo tunc Magdeburgensi, quem propterea ipsi metropoli praefici cura-*  
*vit, pecunia comparando, illam ex tunc dicto Regno Boemiae adjecit,*  
*illa etiam Imperium turpiter spoliando.* At licet Carolus Mar-  
chiam Budisfinensem & Gorlicensem arctissime ac indivisi-  
biliter junxerit regno Boemiae, idque cum consensu Electo-  
rum ac Ordinum Imperii, in Comitibus Norimbergensibus an-  
no CIOCCCLV. non tamen eo ipso Lusatia, sicut nec ceterae  
provinciae, Imperii Germanici jure exciderunt: quod in Re-  
cessu Ratisponensi anno CIOCCCLXXI. confirmatum, & in  
Matriculis Norimbergensi CIOCCCLXXXI. & CIOCCCLXVII. Ra-  
tisponensi CIOCCCLXXI. Norimbergensi CIOCCCLXXX. Colo-  
niensi CIOCCCLXXXVIII. censitum. Ceterum verba Carolinae  
constitutionis de conjunctione Lusatiae cum Corona Boemi-  
ca ita habent: *Nec non Marchiam Budisfinensem & Gorlicensem cum*  
*vasallis, vasallagiis, feudis, feudatariis, utilitatibus, fructibus, obventio-*  
*nibus, jurisdictionibus, judiciis, honoribus, consuetudinibus, & omnibus*  
*dictorum Ducatum & Marchiae pertinentiis, velut utile & im-*  
*mediatum dominium nostrum, & Regni Bohemiae praefati, eidem Re-*  
*gno & ejus felici Corona in perpetuum adjungimus, incorporamus, in-*  
*viscera-*



*visceramus, adscribimus, adpropriumus, & indivisibiliter conjungimus.* Et quod de consensu Ordinum Imperii dictum, patet ex Gerlaci Archiepiscopi Moguntini confirmatione Norimbergæ die B. Luciae Virginis laudato anno data, quæ speciatim sui & aliorum Dominorum Principum Electorum consensum accessisse memorat. Quamobrem quod de sola Gorlicensi civitate scripsit Dresserus, eam ad Boemiam regnum redisse, ea conditione & lege, ne ullo unquam tempore ab ea abalienaretur, aut avelleretur; de tota Marchia Budisfinensi & Gorlicensi accipiendum.

1378.

§. XLVIII. Neque tamen diuturna admodum illa fuit conjunctio: siquidem, quod speciatim ad Gorlicensem Marchiam attinet, eandem ab excessu Caroli IV. (is vita functus an. cccccclxxviii) Johannes filius accepit, quando Wenceslao cum Imperatoria dignitate Boemia & Silesia, Sigismundo Brandenburgensis Marchia cederent. Atque hinc est, quod Krantzius, aliique hunc Johannem, *Ducem Gorlicensem*, Aeneas Sylvius, *Ducem Lusatiae* nuncupent. De eodem Dubravius lib. XXII. *Ne Johannes natus minimus filius praeeritus a Parente videretur, Gorlicium illi atque alias in superiore Lusatia urbes ad possidendum fruendumque assignavit.* Verum hic ipse Johannes (quæ verba sunt Dresseri) propter effrenatam libidinem & insolentiam civitate exclusus, in inferiori Lusatia, quod reliquum fuit vitae, potissimum consumpsit. De hoc Johanne Caspar Peucerus in Idyllio *Patria* inscripto, quod repetit Historiam ejus regionis, quæ olim provincia Nissana & Nicæa, nunc Hexapolis & Lusatia superior vocatur, ita canit:

*Invexit nomen Ducis, & fastigia Jannes,*

*Hoc (Carolo IV.) genitus, regnum Gorlicioque novum.*

*Imperium breve sed, patriæ quod jura nequivit*

*Pristina, non nomen, non abolere decus.*

*Hoc Budisinos propter sprevisse colonos*

*Concordi clasfis mente utriusque ferunt.*

*Illum post habitis qui legibus, arce & honore*

*Antiquis ausit quid pariatque novum.*

*Nec quid ab hoc juris petierunt, nec decus unquam*

*Marchiacum adscito postposuere Duci.*

§. XLIX.



§. XLIX. Mortuo Johanne Jodocus Moraviae & Brandenburgensis Marchio, Venceslai & Sigismundi patruelis Ducatum Gorlicensem sibi vendicavit, idque Venceslai Boemiae Regis permisso. At Gorlicenses missa legatione ad Sigismundum Vngariae Regem impetrarunt, ut penes Boemiae regnum ditio maneret. Rationes suae postulacionis habuerunt graves. Primo, quod Ducis Johannis imperium nimis fuisset durum, tum, quod Gorlicium a corpore regni Boemici haut liceret avellere. Ab hoc igitur tempore Boemiae regni membrum inviolatum haec urbs permansit. Atque haec fere Matthaei Dresseri in *de praecipuis Germaniae Urbibus* narratio est: qui mallem suos auctores laudasset.

§. L. Sic igitur Lusatia omnis Boemici juris facta in ditione Regum Boemiae ad praesens aevum mansit: ac, prout vel florens fuit, vel afflicta regni hujus status, cum eodem effloruit pariter ac attrita est. Quid autem porro per Lusatiam universam gestum in turbis illis ac feralibus bellis Hussiticis sub SIGISMUNDO Rege, anno MCCCXXXVII. decedente: quid sub brevi regimine ALBERTI II. Austriaci; sub LADISLAO post humo, in ipso flore aetatis ac apparatu nuptiarum cum sponsa Gallicana an. MCCCCLVIII. extincto; sub GEORGIO a Cunstat PODIEBRADIO, quod natalibus deerat, fortitudine ac felicitate compensante, sed & Brandenburgicis, qui iterum beneficio Ladislai in Lusatia invaluerant, praeter *Cobusium & Peicam* pauca relinvente; sub VLADISLAO Casimiri Poloniae Regis filio, qui manu Friderici III. Caesaris regni Boemici provinciarumque regno junctarum vexilla accepit, ac porro aemuli Matthiae Vngariae Regis successionem adiit; sub eisdem filio LVDOVICO ad Mohazium a Turcis anno MDXXVI. a Solymano Turcorum Imperatore caeso; sub FERDINANDO I. Caroli V. fratre, Regum optimo, ac a religione nostra non adeo alieno; quid sub filio Ferdinandi MAXIMILIANO II. ejusdemque gnatis RVDOLPHO ac MATTHIA Regibus contigerit: in illa quae huic scriptioni praefinita, brevitate expedire nobis non est integrum:

1437.

1458.

1526.



aque spes nos habet, fore ut Patriæ Patres, omnesque Patriæ amantes, ac si qui erunt alii Lectores benevoli, hoc Catone contenti vivant.

§. LI. Quod reliquum est, ad præsentem Lusatiaæ statum descendimus, paucis exposituri, quomodo utraqve Marchia regno Bojemico exenta ad Saxones, atque adeo ad ipsam illam familiam, quæ quondam Conradi Marchionis temporibus ad Fridericum Admorsum, Orientalem illum tractum gubernavit, postliminio devoluta sit.

1635. §. LII. Nimirum postquam JOHANNES GEORGIUS I. Saxoniae Elector potentissimus, more majorum, Austriacam in vindicando Bojemiae regno causam tueretur, ac id gravissimis impensis tanto exercitui alendo sufficientibus faceret; post reductas ad obsequium provincias, non tam in præmium fortiter æque ac feliciter navatae operæ, quam in tantorum sumtuum septem auri milliones superantium restitutionem, a FERDINANDO II. Cæsare utriusque Lusatiaæ Marchionatum, feudali quidem nexu, sed oneribus vasallagii communibus nequaquam obnoxio, in solidum accepit. Postquam autem ea de re certis tabulis anno præsentis seculi quinto & trigésimo, die xxx. Maji Pragæ obsignatis actum, ipsa Lusatiaæ traditio sequenti anno xiv. die Aprilis in provincialibus Comitibus Gorlicensibus facta. Et Ferdinandi quidem Regis nomine cessionem illam legati Cæsarei Christophorus Baro a Schellendorff, Felix Rudigerus, & Melchior Erle, sequentibus Electoralibus Consiliariis, Caspari a Ponickau, Friderico a Metsch, & Gabrieli Tunzelio, in optima amplissimaque juris forma offerentes, Lufatos a nexu Regum Bojemiae solutos in fidem ac clientelam Serenissimi Electoris, ritu maxime solemni tradiderunt.

1656. §. LIII. Ex eo tempore utraqve Lusatia clementissimo JOHANNIS GEORGII I. Electores regimini paruit. Ab eiusdem obitu, qui anno cMDCXVI. contigit, ex testamenti Electoralis decreto, Superior Lusatia Serenissimo Potentissimoque successoris JOHANNI GEORGIO II. inferior autem Serenissimo fratri CHRISTIANO, Episcopus  
patus



patus Mersburgensis Administratori attributa est. Vt sub  
horum maxime moderato regimine Lusatia terra porro vi-  
geat, floreat, suumque decus sub Saxonicae rutae um-  
bra ad finem usque mundi fervet, devotis  
exoptamus suspiriis.

F I N I S.



COROLLARIA.

I.

Poloni Lusatiam olim appellarunt *Ditivoniam*. Videantur  
Cromerus *lib. I. Histor. Polon.* in Lesco. Neugebauerus *lib. II.*  
*Hist. Polon.* in Lesco III. an. 1300.

II. Ludovicus Germanicus Ludovici Pii filius, ad con-  
vertendos Sorabos aliosque Slavicos populos, *Ecclesiam Nisi-*  
*ensem* fundavit, cuius propagationem & defensionem Con-  
rado Comiti commisit.

III. Qvalis haec Ecclesia fuerit, dubitatur. Quidam  
ad Neissenem in Silesia Vratislaviensi vicinam & subjectam  
trahunt, cum praesertim Nissa fluvius ibidem nomen & lo-  
cum habeat.

IV. At vero Neissa haec Silesiae disita nimis a provincia  
Nisicensi, ad quam Dresdensem quondam tractum pertinu-  
isse patet. Meminerunt autem provinciae Nisicensis Otto I.  
& Johannes XIII. ille Diplomate *de fundatione Ecclesiae Misnen-*  
*sis*; hic, fundationis illius Confirmatione. Vtriusque verba  
prope conveniunt: *Inde usque quo idem fluvius (Milda) intrat in*  
*Albeam, & sic sursum & ultra provinciam NISIZI ad eundem ter-*  
*minum sine dubio; nec non in altera parte Lusizi & Selpoli, illam vi-*  
*delicet infra eundem terminum, & inde in aquam, quae dicitur Odera.*  
*Et sic Odera sursum usque ad caput ejus, inde quasi recta via usque*  
*ad caput Albeae. Inde deorsum in Occidentalem partem, ubi divisio*  
*confinium duarum regionum est, Behem & NISENEN.* Otto-  
nis diploma Moguntiae anno 1000. Johannis da-  
tum anno 1068. qui annus est (ut ipsa habet bulla)  
*majoris Ottonis imperii sextus, & minoris primus.* Porro pagi *Nisen*  
mentionem facit Ditmarus *lib. IV.* *Post haec, inqviens, Henri-*



cus Botzlaum, Ducem Bojensorum in cunctis saeviet necessitatibus semper paratum cum suis adiit, honorificeque ab eo susceptus, cum exercitu ejusdem a finibus suis per NISENI & Deleminci pagos usque ad Mogelini ducitur. Porro Henricus II. anno cixiii. in bulla confirmationis Episcopæ Misnensis, appellat pagum NISICI & NISEN. inq; ea villam Brochotinacethla collocat. In alio diplomate Henrici IV. NISANI vocatur, eidemque attribuitur villa Lwibitovvain Burgvardo Buistrizzi. Et in alio ejusdem Regis diplomate in pago NISENI sub Burgvardo Wotz plures villæ, & in his Gozebudi indigitantur. Complexus igitur hic pagus partem Misniæ superioris & Lusatia. Unde hic quoque Ecclesia Nisicensis, non vero in Silesia quaerenda est.

V. Fuit autem olim peculiaris in Præsulatu Misnensi Archidiaconatus Nisicensis dignitas: quæ, ut ex dictis colligere est, ambitu Ecclesiastico Prsnitz, Ketschenbroda, & multas circumiacentes villas complexa est. Olim autem Diocesis Nisana latius videtur & poene usque Budisfinam patuisse: quod ex laudatis Ottonis I. & Johannis Papæ diplomatis clarum, ubi divisionem duarum regionum Behem & Nisen tangunt. Nato tamen Archidiaconatu diocesis Nisanæ fines forte contracti sunt.

VI. Palatinatus Saxonici dignitas sub Regibus Germaniæ Saxonice videtur nata.

VII. Saxonice Palatinatus a Comitibus Gozezensibus ad Sommerseburgios Comites, ab his ad Henricum Leonem, ab hoc ad Thuringie Landgravios, hinc ad Misnie Marchiones devolutus.

VIII. Palatinatus Saxonicus Friderico ejus nominis IV. quinti patri, & Friderici III. nefarie occisi filio posthumo a Friderico Sommerseburgio, quamvis consanguineo creptus, & familiae suæ applicatus.

IX. Friderici Sommerseburgii nepote Alberto circa an. Christi cixlxxx. sine liberis defuncto, Henricus Leo, Bojariæ atque Saxonice Dux potentissimus, quod sanguine ei cohæreret, Comitatus Sommerseburgii & Palatinæ dignitatis, legitimum se hæredem dixit; & Adelheide Quedlinburgensi Abbatissæ, Alberti sorori, Wichmanno Archiepiscopo Magdeburgico Comitatum vendenti vehementer se opposuit, ipsam arcem Sommerseburgum funditus evertendo. X. Hen-



X. Henrico Leone a Friderico I. proscripto, *Hermannus Thuringia Landgravius Ludovici frater*, Palatinus Saxoniae creatus est in comitiis Erfurtensibus. Auctor de Landgrav. Thuring. cap. xxv. Engelhusius in Chronico pag. 236. Variloquus Antiquatum Erfurtensium MS. ad an. ciccLxxxii.

XI. Henrico Thuringiae Landgravio, Friderico II. opposito anno ciccxlvi extincto, cum Henricus Misniae Marchio succederet, simul quoque Palatinatus Saxoniae haeres factus est. Et ab eo tempore Misniae Marchiones itemque Thuringiae Landgravi, ac post Electores ac Duces Saxoniae titulum, & omisso titulo insignia Palatinatus Saxoniae ad praesentem aetatem retinuerunt.

XII. Vnicus adhuc in historia Palatinatus Saxoniae scrupulus restat: Quo jure Electores Saxoniae stemmatis Alcanii titulum Palatinatus Saxoniae praetulerint. Sic enim in Diplomatum Doberlugensibus anno ciccclxxxvi. legas: Wenceslaus zu Angern / Westfalen / Sachsen und Lüneburg Herzog / Pfalzgraf zu Sachsen / Grave zu Brene / Burggrave zu Magdeburg / und des heil. Röm. Reichs Erzmarschall. Item anno ciccclxiv. Rudolf des heil. Röm. Reichs Erzmarschall / Albrecht und Wenzlaw / zu Angern / zu Westfalen / zu Sachsen und Lüneburg Herzogen / Pfalzgraven zu Sachsen / Graven zu Brene / Burggraven zu Magdeburg. Et ne putes hunc titulum a Thuringiae Landgraviis omissum, ecce eodem anno Wilhelmus Doberlugensibus diploma dedit sic incipiens: Wilhelm / Markgraf zu Meissen / Landgrav in Thüringen und Pfalzgraf zu Sachsen.

XIII. Forte autem Bernhardus Alberti Vrli filius Henrico Leoni ex auctoritate in Saxoniae Ducatu beneficio Friderici I. succedens, aut eius posterum hunc assumsere titulum, quo usus olim Henricus Leo.

XIV. Si vero beneficio Imp. alicujus etiam hanc dignitatem acceperunt, hodierni Saxoniae Duces, qui iisdem in dignitate Electorali ac Ducatu Saxoniae successerunt, duplici titulo Palatina dignitate fruuntur.

XV. Datur casus, ubi qui injuriam intulit, justum; qui accepit, injustum gerat bellum. Et



24 888 87

**E**T chara vitæ Patriæ dat primordia,  
Vitæque finis ultimus, Patriæ Salus!  
Nam Charitates una cunctas continet.  
**A** Patriæ rebus, Studiis exordia,  
Vastum scintiarum exsuperanti mare,  
Studiisque finis sunt portus patrii.  
Felix, Amice, dulce miscens utili,  
Omnem mereris calculum; attinges scopum.

*Fausta acclamatione ominabatur.*

**JOH. SCHILTER, D.**  
Consil. Aulæ Saxo-Jen.

**D**Vm Patriæ recolis scripto monumenta vetusta  
Et famam coelo a nascentis origine jungis,  
Non Te mens juvenis, sed cana scientia clarat.  
Hinc gratum natum, sic ominor, optima mater  
Acceptum dignis amplexibus ista fovebit.  
Nos vero ingenium mirabimur, inclyta fama  
Serta parat, laudesque tuas Patriæ addere gestit.

*Nobiliss. Dn. N E S E N O de Patria nostra Lu-  
satis bene merenti & publice disputanti ex animo  
gratulor, & successus invidendos exopto ex merito*

**GEORG. WOLFFG. WEDELIUS, D.**  
Prof. Publ. Med. Ducal. Saxon.

**D**Vm Patriæ & debes, & das cum foenore vitam,  
Filius ante, tuæ jam Pater es Patriæ.

*Doctissimo N E S E N O Lusatie sue memoriam  
instauranti & conservanti ad posteritatem*

**J. PHILIPPVS SLEVOGTIVS, D.**

**F**Ac res Lusatis gestas periisse, **N E S E N V S**  
*Res Lusatorum servat ab interitu.*

Johannes Philippus Rothius.

**T**Alem jure Tibi grator, **L V S A T I A**, civem,  
Qui studet ut patriæ consulat historiæ.

*Nobiliss. Dn. Auctori applaud.*  
Gottfr. Klingerus.

na













liceat fil  
 etiam ce  
 storia ur  
 Manliu  
 mum ad  
 nus *Miss*  
 ejusdem  
 tum Mar  
 quis *VI.*  
 paucis si  
 etiam Be  
 ferens tit  
 septem ca  
 cepimus.  
 non sup  
 sperfa in  
 pusculun  
 §. I  
 Germani  
 vocabulu  
 vant, lon  
 etymolog  
 prædican  
 Sylvium  
 cabulum  
 leensis ed  
*micium.*  
*mania Urb*  
 terpretatu  
 quasi *Wal*  
 dem libro  
 ci affine est.  
 tet ex lib. *L*  
*Lugz* scrib  
 tos novim  
 nie antiqua

lemus. Neque  
 argumenti hi  
 orum quidem  
*a Lusatica* ani  
 n, Petrus Albi  
 a ad manus est  
 osius Marchiæ,  
 Sed ex reli  
 nus, ex ceteris  
 erunt. Neque  
*Monarchie* præ  
 alias diversis  
 tradidisse ac  
 insisteremus,  
 passim ac di  
 n unum cor  
 atia: quod a  
 a gentis, per  
*servare*, deri  
 cula illorum  
 us appellatos  
 emio *Aneam*  
 e *Lusatia* vo  
*Bohemica* *Basi*  
 io habet *Lus*  
*præcipuas Ger*  
*abitantem, in*  
*am & Misniam*  
 n tamen co  
*populorum vo*  
 sio, quod pa  
*Ligu, Lugi &*  
 æo memora  
 terius *Germa*  
 vos recentio  
 res

